GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII IN Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ DECANI,

Propemticon Inaugurale

DE

MOLY HOMERI, IN SPECIE.

IENÆ,

Litteris KREBSIANIS.

I. N. I.

QVamplurimi fictitium omnino ſtatuunt moly, & tam nomen ipſum ſic effictum ab Homero, quam rem ipſam quoque, quod, vt quosdam ſaltim nominemus, ſcribunt *Marcellus Virgilius*, *Lonicerus*, & inprimis ipſe *Lauremberglus Appar. Plantarum I. l. 1. c. 17. p. 91.* nullus dubito, *inquit*, quin ſit inuentum & figmentum Poeticum, qualia apud Homerum plurima, imo pleraque. Id quod ſine dubio factum eſt ex ignorantia ſpeciali, quod nullam plantam norint, vel deprehendere potuerint, cui hæc prædicata quadrent.

Sed vtut non negemus, veris ficta mixta eſſe, quis enim a Mercurio hæc ipſa effata ad Vlyſſem vera putet? ſed purum putum commentum eſſe repugnat & genio Poetæ, & ſapientiæ veterum, & rei ipſi cumprimis.

Hinc fruſtra fere quæras, diſquiſiuiſſe de plantæ huius genere Commentatores, Medicos vero aliosque ficta pro veris offendas pronunciaſſe, cum Homerico neutiquam reſpondeant, vt inferius videbimus. Plerique & tantum non omnes hæc tanquam *ἀλληγορέμενα* vel mythologica concipiunt, nec vno ſenſu.

Accedit, quod Deos ita nominaſſe concipiant apud Homerum. Θεοὶ μόνοι, ſcribit *Euſtathius comment. in Iliad. p. 124.* ὅτω καλοῦσι, ἀνθρώποις δ' ὅτι ἔγνωσαι, ὅτε ὠνόμασαι. *Dii ſoli ita nominant* (q. d. lingua ſua) *hominibus vero neque re, neque nomine notum eſt*; cum tamen vox excluſiua *ſoli* non extet in textu, quin alio nomine vſitata eſſe potuerit quoque, vti luxuriant nominibus non vnis plantæ.

Verum

Verum enimuero cum ſic, ex falſa hypotheſi, committatur *ὕστερον πρότερον*, liceat nobis, quod dici vulgo ſolet: verte & fiet calceus, huc applicare. Eo vsque enim inquirere & diſquirere fas eſt potius, quousque mens humana pertingere poteſt, quam re deſperata in ipſum figmenti crimen incidere, & alium ſaltim, minimum Poetæ, ſenſum affingere, quam ipſe intenderat.

Re autem inuenta, facile erit poſtea clauem genuinam inuenire, & fontem allegoriæ non vnius. Ratio vero moralitatis, ſeu allegoriæ, laudanda merito primo loco, nulla contra ea, etiamſi vel decem vel plures ſtatuantur effinganturue, veritatem, quæ non niſi vna genuina eſt, elicuerit, quin potius magis magisque illam obſcurauerit.

Poſito ergo, Poetam, autorem tam ſolidum, tam antiquum, tam ſapientem, veritatem hiſtoricam allegoriis exornaſſe, & ſcripſiſſe rei conformia, deſcripſiſſe vnam veram plantam, eamque ſuis characteribus, in re & natura fundatis, quoad radicem, & quoad flores, quæ ipſi ſufficiunt, non minus ac botanico, ac medico, de vſu ſollicito, agedum viſamus, quæ non ſit, & quæ ſit, qualis & quanta ſit.

Demonſtrat nimirum Mercurius plantam, *ἐκ γαίης ἐρύσας, ex terra crutam*, & ſic eruendam, citra vllam allegoriam; hoc enim omnibus plantis eſt commune, vt terra ſit earum locus natalis, in terra degant, germinent, erui, euelli, effodi poſſint, leuius vel difficilius, pro modulo ſpecierum non vno.

Demonſtrat eius *naturam*, *καί φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν*, nihil quicquam reticens, quod promiſerat verbis: *ἐρέω δὲ ἕκαστα, dicam vero ſingula*, & quidem præmiſſo, non ſolum eſſe, ſed & præbuiſſe, vt *φάρμακον*, in genere, plantam medicam, ita in ſpecie *medicamentum ἐσθλὸν, bonum*, laudatum.

Docet ergo porro & deſcribit naturam eiusdem externam & internam, 1. quoad RADICEM, & quidem (1) quoad *colorem, ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, radix quidem nigra erat*, quod ad dignotionem omnino facit, & ad differentiam quoque coloris alterius. Exempli loco & hodie apud Germanos ſunt duæ radices, ſigilli Salomonis, quod Weißwurtzel/ & ſymphyti, ſeu conſolidæ maioris, quod Schwartzwurtzel vocatur, ne plura addamus.

Sed cum non ſufficiat *color*, addit & affectionem alteram, & naturam vlterius ſignat: (2) quoad *profunditatem*, longitudinem & magnitudinem radicis: *χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν, ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, difficile autem effoſſu viris vtique mortalibus, dii autem omnia*

)(2 *poſſunt.*

poſſunt. Deſcribit omnia in neutro genere, quod quidem ad φάρμακον referri poteſt, reuera autem ſic innuit quoque ſtatim vſum, quoad radicem potiſſimum, non excluſis tamen aliis partibus.

Satis ſit longitudine aliis contra quoque moly hoc Homericum præcellere, & vix integram poſſe haberi & erui radicem, ob difficultatem acceſſus, mox laudandam. Difficultas vero non excludit poſſibilitatem, cum ipſe demonſtrans quaſi actu Mercurius eandem eruerit. Alii, vt *Borrichius*, fortaſſe intellexiſſe putant, plantam illam fuiſſe inuentu difficilem, *Hermet. Ægyptior. c. 4. p. 130.*

Pergit hinc quoque 2. ad FLOREM, vlterius enim non opus ducebat & folia, & ſemina laudare, vel deſcribere: γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος, *lacti vero ſimilis flore*; hunc vero candidum & lilii albi æmulum eſſe nemo ignorat. Hæc vt clara ſunt, nec egent illuſtratione, poſitiue talia; ita ſubiungi hiſce, prius, quam progrediamur, par eſt VSVM ſpecialem, & rationem, quam ob rem moly hoc commendatum fuerit Vlyſſi. Hoc enim ſi congruat quoque, longe facillimum & citra contradictionem vllam clariſſimum erit, quod erat demonſtrandum.

Illud vero ſi reputemus, commune aſſertum & conceſſum eſt, Mercurium armaſſe Vlyſſem beneficio antidoti huius contra Circes veneficia, ſeu potius, vt ad ſpeciem digrediamur, illum dehortaturum a venere illicita, eiusque inſidiis, a Circe tentandis, propoſuiſſe eidem duo remedia, quod iam diximus, vnum phyſicum, ἀντιαφροδισιακὸν potiſſimum, & amplius, alterum morale ἀντίδοτον, præſeruatiuum.

Id vt effugeret ſcilicet, vel innoxie tractaturus, quod vix euitaturus alioquin eſſet, hoc opus, hic labor erat. Patet vero idem ex phraſibus, ſeu expreſſis verbis, & effectu, non enim mortui erant ab illis φαρμάκοις ſocii, ſed immutati. Adeoque, vt ſummatim repetamus, Mercurii propoſitum hoc erat, illum ſoluere, illum ſeruare & præſeruare, quo antidoto ait, οὐδ' ὡς θέλξαι σε δυνήσεται, *non te ineſcare poterit.* Neque enim tam incantare id proprie, quam demulcere, allectare, delinire, ad venerem puta, vnde θέλγυτρον illecebras & delinimenta notat, ſignificat.

Confirmat θελκτήρια illa modus adhibendi, memoratus ibidem, per potiones, easque ſine dubio mellitas, & cibos, ἐνὶ σίτῳ, *vno cibo*, quaſi dicat, certo incentiua libidinis applicanda inſtare. Fingamus, ita dixis-

dixiſſe Mercurium: Caue ſis has caſſes, illecebras, inſidias, venerem illicitam, reſiſte libidini, alias eandem ſortem ſubibis, quam experiuntur, Tui illi, quod indecorum, quod noxium, corpori & animo. Sin hoc nequeas, Te continere neſcius, en Tibi remedia, probata & experta; vnum eſt ex arte medica depromptum, quod Tibi aperiam candide, contrarium ſtimulis venereis. Alterum eſt morale, oppoſitum amori odium erga crimen hoc, & Tibi & Tuis amplius futurum damnoſum.

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante,
Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.

Seu Circe itaque ipſa, ſeu nymphæ eiusdem Te illiciant, perſuadere, cogere conentur; nec iſthæc profuerint, Tu contra audentior ito, & vim vi repellere ſuſtine, vt iram ſimulans, vel exerto gladio minatus terrorem incutias; ita enim fiet, vt vel libereris ab hoc facinore, nec polluas corpus temere animumque, vel honeſto, licito & legitimo modo, vterque veſtrum amore fruatur.

Dictum factum. Annuens Vlyſſes accipit remedium, quod iam nominandum venit. Illud vero ſine dubio ſtatuendum eſt moly Homericum, non allegoricum abſolute, cui omnia & ſingula prædicata competunt & congruunt, & contra ea illud ipſum non eſt ſubiectum, quo de illa prædicata enunciari non poſſunt.

Hoc certisſimo & demonſtratiuo argumento, nulla verius & rectius per omnia herba huc quadrat, quam NYMPHÆA alba. Enimuero ſi radicem æſtimemus, *Dioſcoride l. 3. c. 148.* & ſenſu teſte *ῥίζα μέλαινα, τραχεῖα, ῥοπαλοειδής, radix nigra, ſcabra, clauæ ſimilis*, quo ſimul magnitudo & longitudo exprimitur. Radicem vero *κατ' ἐξοχὴν* moly nominat *Lycophron*, vt alii in genere herbam.

Non minus optime etiam flos deſcriptioni reſpondet. *Ἄνθος δὲ λευκὸν ὅμοιον κρίνῳ. Flos vero albus, lilii ſimilis*, vt *Dioſcorides*, ſeu, vt *Poeta* vocat, *γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος, lacti ſimilis.* Nec tertium *κριτήριον* asſignatum abludit: difficilis effoſſu, idque non vna de cauſa, amat enim ſtagna profunda, piſcinas, loca aquoſa, quorſum difficillime patet aditus, ob ipſam hanc profunditatem iunctam, & aquæ obſtaculum. Eſt etiam longisſima, & craſſiſſima, vnde *Tabernamontanus* crasſitiem etiam tibiæ, (ſaltim oſſis) longitudinem vnius vel duarum vlnarum & vltra aſſignat *p. m. 1018. Cæſalpinus l. 15. de Plantis c. 7. p. 568.* crasſitudinem brachii, longitudinem aliquando trium cubitorum, ne alios laudemus.

Confirmat idem vſus & intentio. Nymphæa quippe eſt libidini & ὀργασμῷ venereo contraria. Bibitur enim radix contra inſomnia venerea, vt loquamur cum *Anazarbei* interprete, ſiquidem ea prorſus adimit, quin pota aſſidue *ἀτονίαν ἐργάζεται αἰδοίῳ πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, genitale infirmat per aliquot dies.* Eſtque ſic antidotus nymphæa contra incentiua libidinis & fermenti venerei, vt alias quoque, ex obſeruatione *Conciliatoris, Matthioli,* hosque ſequentis *Valeriolæ*, hellebori nigri, *obſ. 2. l. 3.* Eſt verum ἀντιπαθὲς, quod alii ad applicationem etiam extendunt, ſeu contactum.

Nulla vero alia radix vel planta aſſequitur hanc gloriam. Non *moly bulboſum* cuiuscunque generis, ſeu *Ereſii*, ſeu *Dioſcoridis*, & aliorum. Neque enim radix nigra reſpondet, nec difficulter e terra exemptile, imo bulboſæ omnes auſim dicere non difficulter effodi, ob radicem paruam magis, & rotundam, quam longam, per iam dicta.

Non *Moly Cappadocicum*, ſeu ruta ſylueſtris harmala, a Cappadociæ incolis vero moly dicta, cum moly quandam ſimilitudinem radice nigra, flore candido ſeruet, apud *Dioſcoridem* itidem; quæ duo non ſufficiunt ſcilicet. Confer, *Galenus l. 7. ſimpl.*

Idem dictum eſto de *eryngio*, quod Græcis μῶλυ vocari ſcribitur in Nothis vulgo dictis *Dioſcoridis*, cuius & meminit *Guilandinus, de ſtirpibus epiſt. ad Geſnerum p. 346.* & *Menzelius in Indic. Plantar. multilingui.* Hoc *Scaliger. l. 2. de plant. p. m. 395.* breui ſcapo tantam producere radicem ſcribit, vt herbariorum turbæ opinionem fecerit infiniti. Et inter eius genera vnum ad mare in arenis plerumque creſcere radice tantæ longitudinis, vt radix ſine fine a quibusdam vocetur. Huius folia ſpinoſa, radices dulces & aromaticæ, quod eryngium glycyrrhizon dicetur; vt ſcribit *Ioh. Goropius Becanus Amazonic. p. 870.* Sed nec hoc ſuſtinet moly Homerici nomen & dignitatem, quod facile conferenti qualitates characteriſticas patet & obuium eſt.

Sed nec *moly halicacabum*, a *Plinio* nominatum, huc pertinet, cum ad ſolana ſpectare referatur, *l. 21. c. 31. p. m. 169.* ſeu ſolanum ſomniferum halicacabum intelligamus, ſeu Crateuæ apud *Dioſcoridem l. 4. c. 75.* dictum. Nec *Baaras Ioſephi*, ſeu aglaophotis, ſeu cynoſpaſtus *Æliani l. 14. de animal. c. 27. p. 847.* quod cum moly Homeri conuenire, ſunt qui volunt. Vid. *Caſp. Bauhin. in Pinace p. 312.* & *Guilandinus* inprimis, *l. de papyr. p. 28.* & *in epiſtola p. 18. ſeqq.* quem *Spondanus* ex Ægypto illam attuliſſe & inter rariora aſſeruaſſe refert in *comm. h. l. Homeri*). Et

idem

idem in *epiſtola ad Geſnerum p. 33.* luce meridiana clarius patere ſcribit, Homerum per moly aliud nihil quam hoc intellexiſſe.

Hæc præfari voluimus, occaſione Diſputationis Inauguralis de ARTHRITIDE, EIVSQVE REMEDIO SACCHARO LACTIS, Clariſſimi Medicinæ Doctorandi

IOHANNIS SAMVELIS LEDELII,

GÖRLICENSIS.

Editus in hanc lucem eſt Görlitii Luſatorum Anno Chriſti MDCLXXXVII. Patre Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Experientiſſimo D. SAMVELE LEDELIO, tunc temporis Phyſico Ducatus Gorlicenſis famigeratiſſimo, Academiæ Naturæ Curioſorum Collega, Amico noſtro veterano plurimum honorando, & Matre EVA MARIA PAVLITIA, ex antiqua Paulitiorum ſtirpe.

Deſtinatus hinc ſtudiis, ad pietatem, bonosque mores educatus, prima fundamenta humaniorum literarum hauſit Grünbergæ Sileſiorum, quorſum ad Phyſicatum vrbis & diſtrictus reuocatus Parens & illum transferri iuſſit, informationi commiſſus IOH. BALTHASARIS GROSMANNI, Scholæ ibidem Rectoris fideliſſimi.

Hinc MDCXCVI. Görlitium redux auiæ maternæ venerandæ gratia, conuictu & hoſpitio gaudens, vltra decennium ibidem operam ſtudiis nauauit, Clariſſimorum Præceptorum fideliſſima manuductione vſus.

Ad Parentem hinc reuerſus, primis, ſub ductu eiusdem, artis medicæ rudimentis imbutus, & prius, quam ad Academicas acroaſes concederet, etiam in Theologia & Matheſi Patruelis ſui M. IOH. IACOBI PITSCHII, iam Eccleſiæ Saganenſis Paſtoris, exercitatus fuit.

Ita probe præparatus MDCCVII. Salanam noſtram adiit, & die IV. Octobr. Pro-Rectore Magnifico D. IOHANNE HADRIANO SLEVOGTIO, Albo Studioſorum inſcriptus eſt.

Ita ſtatim Excellentiſſimi huius Viri dexterrimam informationem ambiuit, in Anatomicis, Botanicis & Chimicis exercitiis, eadem fruitus, quod & in Anatome publica proſecutus eſt, vna operationibus chirurgicis accurate demonſtratis.

Hinc

Confirmat idem vſus & intentio. Nymphæa quippe eſt libidini & ὀργασμῷ venereo contraria. Bibitur enim radix contra inſomnia venerea, vt loquamur cum *Anazarbai* interprete, ſiquidem ea prorſus adimit, quin pota aſſidue *ἀτονίαν ἐργάζεται αἰδοίου πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, genitale infirmat per aliquot dies.* Eſtque ſic antidotus nymphæa contra incentiua libidinis & fermenti venerei, vt alias quoque, ex obſeruatione *Conciliatoris, Matthioli,* hosque ſequentis *Valeriolæ*, hellebori nigri, *obſ. 2. l. 3.* Eſt verum ἀντιπαθὲς, quod alii ad applicationem etiam extendunt, ſeu contactum.

Nulla vero alia radix vel planta aſſequitur hanc gloriam. Non *moly bulboſum* cuiuscunque generis, ſeu *Ereſii*, ſeu *Dioſcoridis*, & aliorum. Neque enim radix nigra reſpondet, nec difficulter e terra exemptile, imo bulboſæ omnes auſim dicere non difficulter effodi, ob radicem paruam magis, & rotundam, quam longam, per iam dicta.

Non *Moly Cappadocicum*, ſeu ruta ſylueſtris harmala, a Cappadociæ incolis vero moly dicta, cum moly quandam ſimilitudinem radice nigra, flore candido ſeruet, apud *Dioſcoridem* itidem; quæ duo non ſufficiunt ſcilicet. Confer, *Galenus l. 7. ſimpl.*

Idem dictum eſto de *eryngio*, quod Græcis μῶλυ vocari ſcribitur in Nothis vulgo dictis *Dioſcoridis*, cuius & meminit *Guilandinus, de ſtirpibus epiſt. ad Geſnerum p. 346.* & *Menzelius in Indic. Plantar. multilingui.* Hoc *Scaliger l. 2. de plant. p. m. 395.* breui ſcapo tantam producere radicem ſcribit, vt herbariorum turbæ opinionem fecerit infiniti. Et inter eius genera vnum ad mare in arenis plerumque creſcere radice tantæ longitudinis, vt radix ſine fine a quibusdam vocetur. Huius folia ſpinoſa, radices dulces & aromaticæ, quod eryngium glycyrrhizon dicetur; vt ſcribit *Ioh. Goropius Becanus Amazonic. p. 870.* Sed nec hoc ſuſtinet moly Homerici nomen & dignitatem, quod facile conferenti qualitates characteriſticas patet & obuium eſt.

Sed nec *moly halicacabum*, a *Plinio* nominatum, huc pertinet, cum ad ſolana ſpectare referatur, *l. 21. c. 31. p. m. 169.* ſeu ſolanum ſomniferum halicacabum intelligamus, ſeu Crateuæ apud *Dioſcoridem l. 4. c. 75.* dictum. Nec *Baaras Ioſephi*, ſeu aglaophotis, ſeu cynoſpaſtus *Æliani l. 14. de animal. c. 27. p. 847.* quod cum moly Homeri conuenire, ſunt qui volunt. Vid. *Caſp. Bauhin. in Pinace p. 312.* & *Guilandinus* inprimis, *l. de papyr. p. 28.* & *in epiſtola p. 18. ſeqq.* quem *Spondanus* ex Ægypto illam attuliſſe & inter rariora aſſeruaſſe refert in *comm. h. l. Homeri*). Et idem

idem in *epiſtola ad Geſnerum p.33.* luce meridiana clarius patere ſcribit, Homerum per moly aliud nihil quam hoc intellexiſſe.

Hæc præfari voluimus, occaſione Diſputationis Inauguralis de ARTHRITIDE, EIVSQVE REMEDIO SACCHARO LACTIS, Clariſſimi Medicinæ Doctorandi

IOHANNIS SAMVELIS LEDELII,

GÖRLICENSIS.

Editus in hanc lucem eſt Görlitii Luſatorum Anno Chriſti M DC LXXXVII. Patre Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Experientiſſimo D. SAMVELE LEDELIO, tunc temporis Phyſico Ducatus Gorlicenſis famigeratiſſimo, Academiæ Naturæ Curioſorum Collega, Amico noſtro veterano plurimum honorando, & Matre EVA MARIA PAVLITIA, ex antiqua Paulitiorum ſtirpe.

Deſtinatus hinc ſtudiis, ad pietatem, bonosque mores educatus, prima fundamenta humaniorum literarum hauſit Grünbergæ Sileſiorum, quorſum ad Phyſicatum vrbis & diſtrictus reuocatus Parens & illum transferri iuſſit, informationi commiſſus IOH. BALTHASARIS GRÖSMANNI, Scholæ ibidem Rectoris fideliſſimi.

Hinc M DC XC VI. Görlitium redux auiæ maternæ venerandæ gratia; conuictu & hoſpitio gaudens, vltra decennium ibidem operam ſtudiis nauauit, Clariſſimorum Præceptorum fideliſſima manuductione vſus.

Ad Parentem hinc reuerſus, primis, ſub ductu eiusdem, artis medicæ rudimentis imbutus, & prius, quam ad Academicas acroaſes concederet, etiam in Theologia & Matheſi Patruelis ſui M. IOH. IACOBI PITSCHII, iam Eccleſiæ Saganenſis Paſtoris, exercitatus fuit.

Ita probe præparatus M DCC VII. Salanam noſtram adiit, & die IV. Octobr. Pro-Rectore Magnifico D. IOHANNE HADRIANO SLEVOGTIO, Albo Studioſorum inſcriptus eſt.

Ita ſtatim Excellentiſſimi huius Viri dexterrimam informationem ambiuit, in Anatomicis, Botanicis & Chimicis exercitiis, eadem fruitus, quod & in Anatome publica proſecutus eſt, vna operationibus chirurgicis accurate demonſtratis.

Hinc

Hinc D. Ernesti Heinrici Wedelii, pie defuncti, frequentauit Lectiones publicas & priuatas, Inſtitutionum, lectorium, examinatorium & Diſputatorium, Pathologicum, & de Febribus.

Meis quoque acroaſibus interfuit Theoreticis, Pathologicis, Therapeuticis, de præſcribendis formulis, materia medica, & ſimplicium medicamentorum, autorumque medicorum demonſtratione ac recenſione.

Non minus ab ore Celeberrimi Georgii Alberti Hambergeri pependit in Curſu Mathematico, Collegio Phyſico & Experimentali. Tandem & D. Iohannis Iacobi Fickii fauore vniuerſum Medicinæ curſum repetiit, & *de genuino purgantium vſu in dyſenteria* Diſſertationem meditatus eſt.

Poſtea M DCC X. menſe Iulio domum vocatus & ibi, dexteritate Parentis, & Sagani, ſub manuductione D. Ioh. Gottlob Nüsleri de Nüsler, praxin exercere incepit.

Cum itaque maturatis ſtudiis & profectibus, iuſſu laudatiſſimi Parentis, huc denuo appuliſſet, & inter Candidatos modeſta petitione præuia receptus capeſſere intendat ſummos in arte honores, peractis examinibus debitis ad cathedram publicam aditu conceſſo, habebit, ſub præſidio Slevogtiano, memoratam Diſputationem A. D. V. Iulii.

Huic Actui ſolenni vt Magnificus Pro-Rector, Venerandi Academiæ Patres, Hoſpites & almæ artis fautores omnium Ordinum honoratiſſimi, gratioſam & beneuolam præſentiam commodare dignentur, perofficioſe & amice oro rogoque. P. P.

ſub Sigillo Facultatis M DCC XIII.

D. II. Iulii.

L.S.

Digitized by Google